

item tale individuum ita est singulare, ut impossibile sit hoc ipsum individuum aliud esse numero singulare.

II. Quod unitatem jam appellavimus, id aliquando vocatur *identitas*, & eodem modo dividitur; verum de identitate jam sermonem habuimus. In hujus vocabuli usu observari debent ambiguitates aliquæ: idem fluvius E. G. dicitur aqua hodie per Tyberis pontem fluens, & ea quæ heri fluebat, quæ quidem identitas non est numerica, cum eadem non sit numero aqua: navis quæ sæpius refecta fuit eadem dicitur, licet ne tabula quidem superfit; hæc autem identitas non est *identitas materiae*, sed *formæ* ob eandem scilicet servatam navis formam. *Idem* aliquando dicitur mutatis materia & forma; corpora nostra continuis accessionibus & effluviis mutantur, & tamen vulgo eadem dicuntur; nemo nostrum idem est in teneclute qui fuit juvenis; corpora nostra novam quotidie materiam, aliamque formam induunt; quia tamen in eodem homine eadem numero anima remanet, nulla habita ratione mutationum, quæ in ipso corpore perpetuo contingunt, idem erit homo. Ex his omnibus patet identitatis nomen arbitrariis significationibus plurimis obnoxium esse. Unitati opponitur *multiplicitas* sive *compositio*, quæ proinde triplex etiam est. Etenim quæ dividuntur, vel ut plura ejusdem speciei individua considerantur, vel ut plures ejusdem generis species, aut etiam tanquam diversa genera. Prior *multiplicitas* appellari potest *numerica*, secunda